



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Hospitivs C. 21. Maij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

men, mali dæmonis invidiâ, aliquantilla properranti mora est. Betellinus quidam repetundarum postulatus AVSTREGISILI nomen apud Guntramum Regem detulit, calumnia tam speciosa, ut duello purganda fuerit. Ad id diversis se luctatores studiis præparabant. AVSTREGISILVS placare precibus Numen, argentum omne in pauperes effundere, suis se virtutibus magis, quàm armis involvere. Calumniator generosissimo confusus equo, dum divinâ vi obtorpescentem fodit calcabibus, ab eodem efferato effusus animam exhalavit. Nemo dubitavit AVSTREGISILO cum pœnas dedisse, qui eâ cura liber, à sponsæ suæ (Bituricensis Ecclesia fuit) ex voto Episcopus obtigit. Pro dote cælum accepit an. DC. XI. nobis quoque apertum, si exemplo ejus non tam diu, quàm cum Deo deliberaverimus, quod statuendum est semel.

*Ex Surio.*

*Si voci Dei tui præparas aurem internam, fugam curam externam, ut expedito & vacante interno sensu dicas cum Samuele, Loquere Domine, quia audit servus tuus. Vox hæc non sonat in foro, nec auditur in publico; secretum consilium secretum quærit auditum, S. Bern. Ep. 107.*

S. HOSPITIVS C. 21. Maij.

**H**OSPITIVM qui vidisset, omnibus coopertum sceleribus crederet; qui nosset, simulachrum esse virtutis pronunciarat. Tanti est, bonum virum ex cultu corporis, an animi æstimes. Apud Nicensem Gallorum urbem altâ abditus turri, onustus ferro omnique reorum squalore deformis, raro cum hominibus commercio, cum superis æterno agebat, quibus monentibus, iratum Gallis Numen,

men, & Longobardorum irruptione scelera vindicanda esse intellexit. Aliis autor fugæ factus, ipse erga stulo non excessit, & barbaris per urbem grassantibus in conspectum se dedit: Ii pro maleficio habitum ad cædem deposcunt, jamque ferrum supra caput erat, cum repente percussoris brachium obrigit, quod *HOSPITIUS* signo crucis contra edito correxit. Secuta inde viri æstimatio, hausta ab eo præcepta salutis, quæ qui in aures duntaxat admiserit, diro omnes lethi genere perire. Ultimo ante mortem triduo demum sibi vincula passus est: quem cum toto corpore à vermibus depastum nonnemo miseraretur, negavit illos sibi convivas graves fuisse: eorum morsu unculis excitatum se ad amandum Deum, non debuisse suis monitoribus cibum invidere. Simul tamen atque beatum cælo spiritum reddidit, totum examen disparuit, mirâ erga mortuum reverentiâ, ut appareret, in vivum ex ejusdem imperio peccasse. Sed condonemus hoc mortijus, & tantâ nutritum curâ corpus cedat in vermium potestantem. Illum vermem time, qui in animo nidulatur, & inter æternas flammâs, omni Salamandrâ vivacior, numquam moritur. *Ex Greg. Turon.*

*Perpende, quia caro, quæ nunc accuratis dapibus nutritur, paulo post vermibus scaterere compelletur, ipsa tunc fit esca rodentium, quæ nunc saginatur jucunditate ciborum, ac tantò graviores exhalat putrefacta fatorem, quanto suaviores sibi procuravit educata molliciem.* S. Pet. Dam. l. 7. ep. 19.

S. BASILISCVS M. 22. Maij.

**L** Atuit subinde etiam sub militari sago magna virtus, & castra theatrum præbære Christianæ

næ